

HUGO PARISIENSIS

DE MODO DICENDI ET MEDITANDI.

1. *Humilitas discere volenti necessaria.* — Principium discendi humilitas est, cujus cum multa sunt documenta, hæc tria præcipue ad lectorem pertinent. Primum ut nullam scientiam, nullam scripturam vilem teneat. Secundum ut a nemine discere erubescat. Tertium ut cum scientiam adeptus fuerit, cæteros non spernat. Multos hoc decipit quod ante tempus sapientes videri volunt, et ideo ab aliis quod nesciunt discere erubescunt. Tu vero, fili, ab omnibus libenter discere quod nescis. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Nullam denique scientiam vilem teneas, quia omnis scientia bona est. Nullam, si vacat, Scripturam vel saltem legem contempnas. Si nihil lucraris, nec perdis aliquid. Apostolus enim ait : « Omnia legentes, quæ bona sunt tenentes (*I Thess. v.*) » Bonus lector humilis debet esse et mansuetus, a curis sæcularibus et voluptatum illecebris prorsus alienus, et sedulus ut ab omnibus libenter discat. Nunquam de scientia sua præsumat, non videri doctus, sed esse quærat, dicta sapientium quærat, et semper coram oculis mentis quasi speculum vultus sui tenere ardentem studeat.

2. *Studendi tria necessaria.* — Tria sunt studentibus necessaria, natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur ut facile audita percipiat, et percepta firmiter retineat. In exercitio, ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina, ut laudabiliter vivens mores cum scientia componat.

Ingenio et memoria polleat. — Qui doctrinæ operam dant, ingenio simul et memoria pollere debent. Quæ duo in omni studio ita sibi cohærent, ut si alterum desit, neminem alterum ad perfectionem ducere possit, sicut nulla prodesse possunt lucra, ubi deest custodia ; et incassum receptacula munit, qui quod recondat non habuit.

4. Ingenium est vis quædam naturaliter animo insita per se valens. Memoria est rerum et verborum et sententiarum ac sensum firmissima animi vel mentis perceptio. Ingenium invenit, memoria custodit. Ingenium a natura proficiscitur, usu juvatur, immoderato labore retunditur, et temperato acuitur exercitio. Memoria per exercitium retinendi et assidue meditandi maxime juvatur et viget. Duo sunt quæ ingenium exercent, lectio et meditatio. Lectio est cum ex his quæ scripta sunt, regulis et præceptis informamur. Item lectio est per subjectam (8) sensus investigatio. Trimodum est genus lectionis, docentis, discentis, vel per se inspicientis.

A Dicimus enim, lego librum illi, et lego librum ab illo, et lego librum.

5. *De meditatione.* — Meditatio est frequens cogitatio cum consilio, quæ causam et originem, modum et utilitatem uniuscujusque rei prudenter investigat. Meditatio principium sumit a lectione, nullis tamen struitur regulis aut præceptis lectionis. Delectatur enim quodam aperto discurrere spatio, ubi liberam contemplandæ veritati aciem affigat, et nunc has, nunc illas rerum causas perstringere, nunc autem profunda quæque penetrare, nihil anceps, nihil obscurum relinquere. Principium ergo doctrinæ est in lectione, consummatio in meditatione. Quam si quis familiarius amare didicerit, eique sæpius vacare voluerit, jucundam valde reddit vitam, et maximam in tribulatione præstat consolationem. Ea enim maxime est quæ animam a terrenorum actuum strepitu segregat, et in hac vita etiam æternæ quietis dulcedine, quodammodo prægustare facit. Cumque jam per ea quæ facta sunt, eum qui fecit quærere didicerit et intelligere, tunc animam pariter et scientia erudit et lætitia profundit : unde fit ut maximum in meditatione sit oblectamentum.

6. *Meditationis tria genera.* Tria sunt genera meditationis. Unum constat in circumspectione morum, aliud in scrutatione mandatorum, tertium in investigatione divinorum operum. Mores sunt in vitiis et virtutibus. Mandatum divinum aliud præcipiens, aliud promittens, aliud terrenum. Opus Dei est et quod creat potentia, et quod moderatur sapientia, et quod cooperatur gratia. Quæ omnia quanta sint admiratione digna tanto magis quisque novit, quanto attentius Dei mirabilia meditari consuevit.

7. *Memoriæ commendanda quæ sumus edocti.* — Memoria colligendo custodit ea quæ ingenium investigat et invenit. Oportet enim ut quæ discendo divisimus, commendanda memoriæ colligamus. Colligere est ea de quibus prolixius vel scriptum vel disputatum est ad brevem quamdam et compendiosam summam redigere; quæ a majoribus epilogus, id est brevis recapitulatio supradictorum appellata est. Memoria enim hominis brevitate gaudet, et si in multa dividitur fit minor in singulis. Debemus ergo in omni studio vel doctrina breve aliquid et certum colligere, quod in arcula memoriæ recondatur, unde postmodum cum res exigit aliqua deriventur. Hæc etiam sæpe replicare et de ventre memoriæ ad palatum revocare necesse est ne longa intermissione obsoleat.

8. *Animæ rationali tres visiones. Meditationis et*

(8) Deest hic aliquod verbum.

contemplationis discrimen. — Tres sunt animæ rationalis visiones. Cogitatio, meditatio et contemplatio. Cogitatio est cum mens notione rerum transitorie tangitur, cum ipsa res sua imagine animo subito præsentatur, vel per sensum ingrediens, vel a memoria exurgens. Meditatio est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid obscurum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio est perspicax et liber animi intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusas. Inter meditationem et contemplationem hoc interesse videtur, quod meditatio semper est de rebus a nostra intelligentia occultis; contemplatio vero de rebus vel secundum suam naturam vel secundum capacitatem nostram manifestis; et quod meditatio semper circa unum aliquid rimandum occupatur; contemplatio autem ad multa vel etiam ad universa comprehendenda diffunditur. Meditatio itaque est vis quædam mentis curiosa ac sagax obscura investigare et perplexa evolvere. Contemplatio est vivacitas illa intelligentiæ, quæ cuncta in palam habens manifesta visione comprehendit, et ita quodammodo id quod meditatio quærit, contemplatio possidet.

9. *Contemplationis duo genera.* — Contemplationis autem duo genera sunt, unum quod et primum est et incipientium in creaturarum consideratione, aliud quod ultimum et perfectorum est in contemplatione Creatoris. In Proverbiis Salomon quasi meditando incessit, in Ecclesiaste ad primum gradum contemplationis ascendit, in Canticis canticorum ad supremum se transtulit. Ut igitur tria his propriis vocabulis distinguamus, prima est meditatio, secunda est speculatio, tertia est contemplatio. In meditatione mentem pia devotione succensam perturbatio carnalium passionum importune exurgens obnubilat; in speculatione novitas insolitæ visionis in admiratione sublevat; in contemplatione miræ dulcedinis gustus totam in gaudium et jucunditatem commutat. Igitur in meditatione est sollicitudo, in speculatione admiratio, in contemplatione dulcedo.

10. *Tria in expositione.* Expositio tria continet, litteram, sensum, sententiam. Littera est congrua ordinatio dictionum, quam etiam constructionem vocamus. Sensus est facilis quædam et apta figuratio, quam littera prima fronte præfert. Sententia est profundior intelligentia, quæ nisi expositione vel interpretatione non invenitur. In his ordo ut primum littera, deinde sensus, postea sententia requiratur: quo facto, perfecta est expositio.

11. *Vanitatum tria genera.* Tria sunt genera vanitatum, prima est vanitas mutabilitatis quæ omnibus rebus caducis inest per conditionem. Secunda

A est vanitas curiositatis vel cupiditatis, quæ mentibus hominum inest per rerum transientium et vanarum inordinatam dilectionem. Tertia est vanitas mortalitatis, quæ corporibus humanis inest per pœnalitatem.

12. *Eloquentiæ munia.* Dixit quidam eloquens et verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat (S. AUGUST. lib. IV *De doct. Christ.*, cap. 14). Demum addidit: Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas in rebus est constituta quas dicimus, reliqua duo in modo quo dicimus. Qui ergo dicendo nititur persuadere quod bonum est, nihil horum spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat; oret atque agat ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur. Quod cum apte et convenienter fit non immerito eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc tria, id est ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquii, cum itidem dicit: Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna granditer dicere. Discat quidem omnia quæ docenda sunt qui et nosse vult, et docere, facultatemque dicendi ut decet virum ecclesiasticum comparet. Qui vero dicit cum docere vult, quandiu non intelligitur; nondum se existimet dixisse quod vult, ei quem vult docere; quia, etsi dixit quod ipse intelligit, nondum ipsi dixisse putandus est a quo intellectus non est. Si vero intellectus est, quocumque modo dixerit, dixit. Divinarum igitur debet Scripturarum doctor et defensor rectæ fidei, et debellator erroris, et bona docere, atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agitur, quid expectare debeant intimare. Ubi autem benivolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut causa postulat. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est; si tamen indigeat ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant; documentis adhibitis ratiocinandum est.

ALCUINUS.

D Et Marcus Tullius ait: Thesaurus est omnium rerum memoria, quæ nisi custos cogitatis inventisque rebus et verbis adhibeatur; intelligimus omnia, etiamsi præclare fuerint, in oratore peritura. Non habemus alia ejus præcepta nisi discendi exercitationem et scribendi usum et cogitandi studium et de ebrietate cavenda, quæ omnibus bonis studiis nocet et menti adimit integritatem.

